S. D. N. D. CLEMENTIS
Diuina prouidentia PP. VIII.

Pro Ordine S. BASILII Hiſpaniarum.

DECRETA REFORMATIONIS.



CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.



EX iniuncto nobis Apoſtolicę ſeruitutis officio ad ea ſolicitè ſemper intendimus, per quæ Religioſorum Virorũ ſub ſtrictiori regulæ obſeruantia Altiſſimo famulari cupientium reformationi, ac proſpero & felici gubernio opportunè cõſulitur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Nuper ſiquidem Venerabilis Frater noſter Iulius Antonius Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Sanctę Seuerinæ nuncupatus infraſcriptas regulas,& conſtitutiones pro reformatione Prouinciæ Hiſpanię Ordinis Monachorum Sancti Baſilij,cuius apud Nos & Apoſtolicam Sedẽ Protector ipſe Iulius Antonius Epiſcopus Cardinalis exiſtit, editas, & ab ipſo Iulio Antonio Epiſcopo Cardinale diligenter examinatas nobis Apoſtolica auctoritate approbandas,& confirmandas propoſuit, quarum tenor talis eſt, videlicet

De reformatione Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis S. Baſilij Magni.

SAcroſancti Concilij Tridentini de Regularium reformatione veſtigijs inhærentes, vt Monachi S. Baſilij ad regulam quam profeſſi ſunt, vitam inſtituant, & componant. Et in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, velut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & alia ſuæ Religionis peculiaria vota, & præcepta, necnon ad communem vitam, victum, & veſtitum concernentia fideliter obſeruent, in primis declaramus Sancti Baſilij inſtitutum Monachale, & vitæ contemplatiuæ eſſe, & non ſolum cum cæteris in tribus ſubſtantialibus votis conuenire, ſed etiam peculiaria præcepta ſuam eſſentiam concernentia quædam habere. Quorum præcipua duo ſunt, alterum in oratione, alterum in manuum labore exercitatio. Quibus etiam alia accedunt ad communem vitam, victum, & veſtitum concernentia. De quibus in his tantum quæ in Monaſterijs Hiſpaniæ reformatione indigent agendum nobis eſt.

De vita communi.

QVoniam autem finis præcepti charitas eſt, præcipimus vt omnes Monachi in præſenti reformatione charitatem communem, conſimilemq; vitam in omnibus obſeruent iuxta regulam quam profeſſi ſunt, & Monaſtica inſtituta, tàm in oratione, choro, & labore, quàm in cibis, veſtimentis, calceamentis, & reliqua regularis diſciplinæ obſeruantia, ita vt vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus habeatur, & vnuſquiſq; in officio ſuo perſiſtendo, commune ſemper decus diſciplinæ charum habeat, & communem, æqualemq; cum omnibus coniunctionem.

De numero Monachorum.

QVæ quidem vita communis, & regularis obſeruantia, vt rectiùs inter multos poſſit obſeruari, Volumus, præcipimusq; vt extinctis, ac funditus euerſis huius Prouinciæ Monaſterijs, ſeu domibus paruis, & eorũ Monachis, & poſſeſſionibus in maiora, licèt pauca redactis in nullo Monaſterio minor viginti Monachorum numerus habeatur. Sed quia pleraq; huius Ordinis in Hiſpanijs Monaſteria pauperrima ſunt, nec tanta fratrum poſſunt celebritate fundari niſi manibus propriis neceſſaria quærant, & operum ſuorum facultatibus fulciantur. Ideo in huiuſmodi Monaſterijs bonam partem Monachorum ex laicis ad opera manuum neceſſariam eſſe iudicamus, vt ita alij aliorum opera iuuentur. Choriſtæ quidem, qui ma-

gis

gis in Choro, & ſpiritualibus occupari debent, & in manualibus quantum chori, & orationis tempus permiſerit, Laicos in ſpiritualibus adiuuabũt, Laici verò qui magis à Choro, & ſpiritualibus releuantur, manuum operibus plus dediti, Choriſtis fratribus in temporalibus pro parte etiam ſua opem ferent, & ita omnes in laboribus, vigilijs, & charitate fraterna fundati, alter alterius onera portantes, legem Domini adimplebunt.

De manuum labore.

DEclaramus etiam Monachos omnes Sãcti Baſilij ex peculiari ſuæ Regulæ inſtituto ad laborem manuum ſaltem in communi teneri, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem. Vnde cum Monachi Sancti Baſilij in Regnis Hiſpaniarum ſumma paupertate laborẽt, & magis quàm cæteri ad laborem obligentur; ideo iubemus iuxta præſentis Reformationis ſtatuta dictos Monachos in illis artibus exerceri, quas Sanctus Baſilius ſuis Monachis aſsignat præcipuè quæ intra domum exerceri poſſunt, velut texendi, pectendi, nẽdi, ſarciendi, vel alijs ſecundum Locorum, & temporum exigentiam. Non tamen ex eo bona in communi poſſidere prohibemus, ſed quæ Dominus dederit in Domino poſſideant.

De cultu diuino, oratione, & Choro.

VErum quia in Monaſtica profeſsione, & Sancti Baſilij inſtituto, vt ipſe in cap. ſecundo Monaſtic. conſtit. expreſsè docet ſpiritualis doctrina præcipuum locum tenet, reliqua vero omnia in ſecũdis conſiſtunt: ideo huius Ordinis Religioſi ad opus Dei, Dei ſcilicet Laudes, Pſalmorum modulationem, orationem, & contemplationem magis intenti eſſe debent. Surgant igitur Choriſtæ media nocte ad cõfitendum Domino Matutinas, & Laudes deuotè recitantes, quibus Laicos in diebus tantum ſolemnibus intereſſe mandamus. Diluculo verò in ipſo diei crepuſculo, vel paulo ante, maximè hiemis tempore, omnes tam Laici, quàm Choriſtæ per ſingulos dies pariter ad Orationem conſurgent, & in Choro congregati per dimidiã horam orationem mentalem habebunt, vt primi animi motus Domino cõſecrentur, & in ipſius obſequium omnes diei dirigantur actiones: oratione expleta dum Choriſtæ recitant Primam, & Tertiam, Laici Miſſam audiant, & his finitis vnuſquiſq; ad opus ſuum exibit. Et licet vbicunq; in opere Fratres ſint, poſsint, & debeant, vt decet ſeruos Dei, ore, vel corde ſine intermiſsione orare, non tamen propterea illæ ſtatis temporibus præſcriptæ orationes, & Pſalmorum decantationes negligendæ veniunt, quas ob-

seruari in Conuentibus solemne est, & quotidianum. Choristæ igitur omnes diei horas statutis ab Ecclesia temporibus deuota, modesta, pariq; voce cantabunt. Quod si id in Monasterijs Hispaniæ propter eorum inopiam, & in operibus maiorem occupationem commodè fieri non posit, quæ sint cantandæ secundum vniuscuiusq; Monasterij dispositionem Prælatorū discretioni relinquimus; dum tamen singulis diebus Missa maior, & festiuis omnes diuinæ horæ cantentur. Tempore autem Completorij rursus omnes, tam Laici, quàm Choristæ in Choro congregabuntur, & finito Completorio per aliam dimidiam horam in oratione mentali pariter persistent, vt omnes seruitutis suæ Officia persoluendo Deo de bonis gratias referentes, & de malis pœnitentiam agentes noctis requiem in Domino requirāt.

De vestitu, calceamento, & zona.

PRæcipimus quoq; cum Sancto Basilio, vt omnes Monachi, tam Choristæ, quàm Laici eodem vestitu, & habitu exteriori, & similibus calceis decenter incedant. Quoniam tamen circa formam, & materiam habitus non alia in Sancto Basilio expressa reperitur, quàm quòd in omnibus idem vilis, sed honestus, & ad vitæ communis vsum accommodatus habitus sit, & illa in vestitu Monachali à Patribus tenenda censentur, non quæ ita vilia, & noua, vt in nouitate habitus inter cæteros eiusdem professionis habeantur insignia, & quæ derisum, aut scandalū potius inferant, quàm ædificationem, sed quæ, vel à Pontificibus Summis, vel à veteribus Religionis Patribus tradita sunt, vel quæ à Patribus nostri temporis in vsu habita Catholicæ per omne corpus Fraternitatis tenentur; vel quæ Locorum situs, vel vsus Prouinciæ admittit. Quapropter volumus, ac sæpè sæpius diffinimus ea quæ circa formam, & materiā habitus à bo.me. Gregorio xiij. in huius Religionis instauratione tradita, & hucusq; tā in Hispanijs, quàm in Italia in vsu communi habita sunt, & in perpetuum deinceps obseruari debere; dummodo superfluitatibus rescissis in vilitate honesta, & decora consistant. Talia igitur erunt, videlicet, Tunica præcincta zona, talaris, & clausa ex panno nigri coloris, qui vilis sit, sed honestus, & Monasticæ professioni decorus, non is, qui vulgari sermone in Hispanijs Saial nuncupatur: is enim propriè pannus non dicitur, sed vulgo contra pannum distinguitur; nec ad vitæ communis vsum satis est accommodatus, nec hucusq; inter Monachos huius professionis vnquam est visus, imo in hac nouitate multum inuisus, & in odio apud omnes extitit, quare de nouo introducēdus non est. Caputium etiam ipsis erit, siue cuculla Monachalis, itaut sine caputio, vel cuculla Mo-

la Monachali nullo modo Monachi esse possint. Caputium dicimus quod caput tegat, & ad collum cum patientia, siue scapulari adunetur, quod à fronte, ad pectus non pendeat, & à tergo insolitam punctam eat. Hoc tamen caputio, quod cum scapulari inter occidentales Monachos cucullæ vicem gerit, & erat Aegyptiorum cuculla, vtētur Monachi ad opera manualia, ad opera vero diuina ea vtentur cuculla, quæ in partibus occidentis ab omnibus Monachis, & hucusq; à Monachis Sancti Basilij, tam in Italia, quàm in Hispanijs in vsu habita fuit, & modo apud omnes Monachos cuculla Monachalis dicitur. Erit tamen stricta, nullas, vel paruas habens rugas, siue sinus, nec adeò amplas manicas, vt à Benedictinorum cuculla, & habitu in aliquo distinguatur. Materia verò erit ex pāno laneo, qui in Hispania dicitur estameña, & in Italia Saieta, dummodo sit ex eo qui crassior sit, & viliori pretio habitus. Hæc enim humilia, honesta, & ad vitæ communis vsum accommodata, nec ab vsu Monachali, & Prouinciæ aliena sunt.

De esu carnium.

ESum carnium non omnino prohibemus, siquidem, nec Sāctus Basilius expresse prohibet, quia tamen illas ad condimentum tantummodo videtur concedere. Nos easdem diebus Dominicis, & tertijs, & quintis ferijs non ad gustum oblectandum, sed vires, & valetudinem conseruandum, extra Aduentum, idq; semel in die tantummodo in meridiana comestione permittimus: poterit tamen Superior ex causa circa dierum rationem cū particularibus dispensare: nullo tamen modo cum omnibus in communi.

De vitandis quæ possunt institutum impedire.

CVm S. Basilij institutū Monasticū sit, quicquid ipsius quietē, & tranquillitatē impedire potest, aut perturbare, licet aliàs bonū, & laudabile, veluti eleemosynas petere, cōfessiones sæculariū audire, verbū Dei extra proprias Ecclesias populo prædicare omnino prohibemus. Ne tamē adueniētiū ad Monasterium fideliū necessitati, vel deuotioni charitatem, & cōsolationē denegemus, vnū tantum in quouis Monasterio, qui sæcularium confessiones audiat permittimus, & is, vel alius à Capitulo Prouinciali designandus, à laboribus liber, studio vacabit, & quotidie per dimidiæ saltem horæ spatium Religiosos Fratres de præceptis Domini, & ad salutis animæ, virtutisq; progressum, & perfectionem necessaria ex Sacra Scriptura pro conscientiæ instructione poterit, & debeat necessario edocere: necnon Festiuis diebus pro Prælati arbitrio currentia Euangelij loca declarare.

De situ,

De situ, & fundatione Monasteriorum, & perpetua filiatione.

MAndamus quoq; quod Monasteria non propius ab Oppidis, quàm per duo milliaria, nec sine sufficientibus redditibus, vel mediocribus possessionibus, quibus cum ad minus duodecim Monachi, & addito manuū labore viginti sustentari possint de nouo fundentur; Et quod in omnibus perpetua sit filiatio, nec ex vno ad aliud Monasterium Monachi mutari possint, nisi per Capitulum Prouinciale ad nouas fundationes, & Prælaturas, Nouitiorum, & Collegiorum Magisteria Prædicatorum, & Confessorum officia, quorum ministerijs finitis in domum suam quisq; reuertetur. Si verò alicuius delictum, & subsequens scandalum, & diuturna, & grauis, dummodo dolus non sit, infirmitas occurrerit, talis Monachus de licētia Prouincialis mutari posit, quo magis expediens iudicabitur.

De receptione Nouitiorum, & alijs.

POterit vnusquisq; Abbas de consensu sui Capituli Nouitios seruata Cōcilij Tridentini, & aliarum Apostolicarum sanctionum forma ad habitū & professionē admittere; ita tamen, vt in eorum receptione declaretur quisnam in Choristam, vel in Laicum Monachum recipiatur. Si quis autē in Laicum receptus siue professus, vel ex Superioris licētia, vel aliter quomodolibet sacris initietur, tam ipse ordinatus, quàm Superior, qui talem licentiam dederit, perpetuam ab Ordinibus suspensionem, & vocis actiuæ, & passiuæ priuationem non aliter quàm per Sedem Apostolicam dispensandi ipso facto incurrant, alijs pœnis Superioris arbitrio infligendis. Volumus tamen, quòd Monachi Laici, qui duodecim annos professionis habuerint, eandem vocem actiuam habeant, ac si in sacris fuissent ordinati. Circa locum autem, & alias præcedētias volumus Sacerdotes omnibus præferri; inter Laicos verò, & Choristas, etiam Diaconos extra Chorum, & alia cultus diuini ministeria nulla sit differentia, sed vnusquisq; secundum suę professionis antiquitatem pręferatur, nec in Sacerdotem promoueri possit, nisi quem sextum professionis annum compleuisse constiterit.

De Collegio in Prouincia habendo.

CVm Sanctus Basilius interrogatus numquid expediat multa ex Scripturis ediscere respondeat eum, cui aliorum rectio, procuratioq; commissa sit scientia, & sapientia excellere debere, reliquos autem secundum Apostolum, non plus sapere, quam oportet sapere. Nos vt ij, qui talia munera exer-

cere

cere debent, posſint neceſſaria ediſcere pronũc in Hiſpanijs Collegiũ Hiſpa leñ quod ſufficienter videtur dotatum, interea dum aliud in Eremo ex redditibus ſupradicti Collegij Hiſpaleñ ſine iniuria fundatoris, vel ex alijs ſufficientibus commodè fundari poſsit, permittimus, in quo nullus quiſpiam, præter ſtudentes, qui tamen per quatuor Annos à Magiſtro Nouitiorũ probati, à proprij Monaſterij Prælato, & Cõuentu electi, virtute, ingenioq; præſtantes inuenti fuerint, atq; Rectorem, ſeu Abbatem, & Priorem, & Magiſtros, neceſſarioſq; ad Collegij miniſteria Fratres Laicos omnes à Prouinciali Capitulo electos ex alterius Superioris, quàm Romani Pontificis licẽtia poterit commorari. Volumuſq; prædictos Studentes, nec ad alia Ciuitatis Collegia lectiones audituros, nec ad alia negotia extra clauſtra, vllo modo debere exire, niſi in caſibus neceſſarijs, à Prouinciali, vel Capitulo Prouinciali maturè penſatis. Et inſuper volumus, ne à laboribus deſueſcãt in ijs, quę minus impediant, & paucis indigeant per vnam horam quotidie in Collegio exerceri, atq; finito ſtudio, vel ab illo propter ſufficientiam Litterarum, vel ſtudij negligentiam quouis tempore Prouincialis, & Diffinitorum arbitrio abductos, vnũquemq; ad ſuum Monaſterij nouitiatum per annum iterum neceſſario reduci. Iulius Antonius Cardinalis Sanctæ Seuerinæ Protector. Nos itaq; Conſtitutiones, & Regulas prædictas in dicta Prouincia Hiſpaniæ Ordinis Sãcti Baſilij recipi, & ab illius Monachis inuiolatè perpetuò obſeruari cupientes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſertas Conſtitutiones, & Regulas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò in omnibus, & per omnia, prout in illis continetur, confirmamus, & approbamus, ac ita ſtatuimus, & decernimus, & in Prouincia Hiſpaniæ, & Ordine prædictis recipi, & perpetuò poſthac obſeruari volumus, & ordinamus. Quocirca dilectis filijs Prouinciali, ac alijs Superioribus, & Monachis vniuerſis Ordinis, & Prouinciæ huiuſmodi, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, ac ſub pœnis etiam priuationis Dignitatum, & Officiorum quæ obtinent, ac vocis actiuæ, & paſsiuæ, necnon perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum conſequenda, ac demum ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis per Venerabilem Fratrem Epiſcopũ Gienneñ quem eiuſdem Prouinciæ, & Ordinis Reformatorum per alias noſtras ſimiles Litteras in forma Breuis deputauimus infligẽdis eo ipſo incurrendis diſtrictè præcipiendo mandamus, vt Conſtitutiones, & Regulas præinſertas in Prouincia Ordinis prædicti, ac ſingulis eius Monaſterijs reſpectiuè, prout à dicto Epiſcopo Gienneñ Reformatore ordinatum fuerit, recipiant, & introdu-

trodu-

troducant, ac perpetuò obſeruare procurẽt. Nõ obſtantibus quibuſuis Iuris communis impedimentis, vel inhabilitatibus, necnon Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Prouinciæ prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & Litteris Apoſtolicis eidem Ordini, eiuſq; Abbati Generali, necnon dictæ Prouinciæ, eiuſq; Superioribus, & Monachis, ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet, conceſſis, confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadẽ fides habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die vndecima Februarij M. D C I I. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

ROMÆ, Ex Typographia Cameræ Apoſtolicę

M D C I I.